

de Peccatorum meritis et remissione, capite decimo septimo, Augustinus dixit, et libro primo ad Simplicianum, quæstione secunda, et libro de Spiritu et littera, capit. trigesimo tertio et trigesimo quarto, et libro de Prædestinatione Sanctorum et de Dono perseverantiae, ac sæpe alias declaravit, et in summam redigit Concilium Tridentinum, session. sexta, capite quinto, et ratione declarari potest, quia vocatio talis pulsus vel clamor esse debet, qui ab homine vocato percipi possit; ergo oportet ut sit actus vitæ, qualis non est illa prædeterminatio quæ ab homine non percipitur. Item vocatio talis est ut in libera potestate hominis sit respondere, eam recipiendo vel abjiciendo, ut Tridentinum supra, et canone quarto; at determinatio illa non est hujusmodi, nam non est in potestate hominis illam abjicere aut cassam reddere; item vocatio interior regulariter est effectus exterioris vocationis, juxta illud: *Quomodo audient sine prædicante?* Determinatio autem per se non sequitur ex vocatione externa, sed pro solo Dei arbitrio datur, cui ipse vult; non pertinet ergo determinatio ad vocationem, sed, si illa datur, spectat potius ad responsionem; nam qui determinatur ad sequendam vocationem, jam incipit illi respondere.

Sed præterea, licet id admitteremus, nullo modo per distinctionem illam satisfaceret testimoniis adductis, nam quando Deus aliquos vocat vocatione (ut sic dicam) non determinante illorum voluntatem seu non includente illam prædeterminationem, non potest de illis conqueri, eo quod non aperiunt, nam quomodo aperiunt sine prædeterminante, aut quomodo habebunt prædeterminationem si illis non datur? Non enim possunt (ut supra demonstravi) ad illam se disponere, cum omnis dispositio vel potentia, aut quæcumque alia diligentia, quæ pro obtinenda prædeterminante gratia postulari possit, debeat a prædeterminatione procedere, et ita, necessario sistendum sit in aliqua prima prædeterminatione, quæ nullo modo sit in hominis potestate. Cum ergo hæc non datur, quomodo potest Deus hominem accusare quod vocationi non respondeat? Quod maxime urget, si non solum Deus voluntatem hominis vocati non determinat ad respondendum et aperiendum, verum etiam determinat ad resistendum; quid enim tunc faciet miser homo, aut cur ei imputabitur quod obduret cor suum, et non potius soli Deo, qui propria et positiva actione duritiam immittit? Quæ enim major durities

quam determinatio ad resistendum vocationi divinæ? E contrario vero, quando Deus vocat et statim suam prædeterminationem adjungit, quomodo dicere potest: *Si quis mihi aperuerit?* Fieri enim non potest quin omnis sic vocatus aperiatur. Ille ergo modus dicendi: *Si quis mihi aperuerit*, aperte significat, posita una et eadem vocatione, cum omnibus quæ ad illam pertinent, adhuc incertum esse, ex vi potestatis et domini liberi arbitrii, in quam partem inclinandus sit; quod non habet locum si vocationes ita sunt distinctæ, ut cum una, cui deest determinatio, impossibilis sit aperiatio ex intrinseco defectu vocationis, et cum alia, includente determinationem, impossibilis sit repulsa ex intrinseca efficacia ejusdem vocationis.

Prima confirmatio.—Atque hæc testimonia eorumque pondus egregie confirmantur illis testimoniis, quibus docemur nihil deesse ex parte Dei quominus vocati homines convertantur et servant præcepta, si velint. Tale est illud ad Romanos secundo: *Ignoras quod benignitas Dei ad penitentiam te adducit?* et illud Joann. primo: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Hæc enim potestas non est de solo titulo; quæ enim esset hæc Dei benignitas? Talis ergo est ut nihil desit homini necessarium ad opus, quod non sit in ejus potestate. Optima vero sunt verba illa Isaïæ quinto: *Quid ultra debui facere vineæ meæ, et non feci? an quod expectavi ut faceret uvas, fecit autem labruscas?* Ubi expendo duo genera gratiarum concurrere ad pia opera voluntatis humanæ. Unum est earum gratiarum quas solus Deus facit, aliud earum quas Deus nobiscum libere operantibus cooperatur. In illis ergo verbis profitetur Deus se fecisse cum vinea sua quidquid in priori genere gratiarum necessarium erat, ut faceret uvas; nam si hoc totum non faceret, quomodo dicere poterat: *Quid ultra debui facere. et non feci?* Diceretur enim illi: Aliquid necessarium non fecisti quod facere debuisses, ut justam de vinea tua querelam habuisses. Quare non solum de externis beneficiis et auxiliis quæ Deus illi populo contulit, separando illum a gentibus, et dando illi legem et Prophetas, illa verba intelligenda sunt, sed etiam de omnibus internis auxiliis ex parte Dei necessariis, quia sine illis vinea illa fructum facere non posset, quem tamen Deus ab illa expectabat. Ridiculum enim est expectare fructum cum sola cultura externa, sine interna irrigatione et operatione, cum hæc magis sit ne-

cessaria. Consequenti ergo ratione, si determinatio pertinet ad illas gratias internas quas Deus solus facit, et necessaria est ad fructum vocationis, non potest Deus dicere: *Quid ultra debui facere?* donec illam conferat. Et e contrario, si absque illa vere et juste dicit Deus se fecisse quidquid debuit, ut vineæ imputet quod uvas non fecerit, sed labruscas, non est necessaria talis gratia ad fructum ferendum; ergo talis determinatio non pertinet ad gratias, quas necesse est a solo Deo fieri debeant. Meritoque (quod ponderandum est) dictum est: *Quid ultra facere debui;* et non: *Quid ultra facere potui;* quia ut nobis imputetur ad culpam non respondere vocationi, non est necesse ut Deus faciat quidquid potest, neque ut aliquid addat vocationi sufficienti, etiamsi prævideat eam in nobis non sortituram effectum. Ob hanc ergo causam non dixit Deus: *Quid amplius facere potui.* Dixit, *quid debui*, quia, licet absolute Deus nihil debeat nobis, tamen, supposita promissione, suo modo est debitor; et supposita comminatione supplicii si non feramus fructum debitum, ipse debet suæ sapientiæ, bonitati et providentiæ, ut prius faciat quidquid ab ipso solo fieri potest, et necessarium est, ut paratus etiam sit cooperari nobiscum, si velimus. Denique hic locus confirmat egregie quod supra diximus, Deum expectare nostram cooperationem, postquam ipse contulit quidquid ab ipso necesse est fieri: quæ expectatio nec habet locum sine determinatione, si illa necessaria est, et ipse decrevit eam non dare. Quis enim expectat effectum qui sine ope sua fieri non potest, si ipse ex se decrevit non opitulari? Nec etiam habet locum expectatio, posita illa determinatione, quia expectatio est de re ex se incerta et indifferente; posita autem illa determinatione, jam fructus est certus, imo necessarius ac inevitabilis.

Secunda confirmatio.—Hoc etiam egregie confirmant verba illa Deuteronom. 30: *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, vel in cælo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, et opere compleamus?* Ubi considerandum est verba illa dirigi ad populum a Deo vocatum et supernaturaliter illuminatum, aliisque auxiliis gratiæ sufficienter instructum, ut in proximo superiori testimonio declaratum est. Quamvis enim illa lex vetus populo illi gratiam non conferret, ta-

men Deus, qui legem illam dabat, necessaria etiam gratiæ auxilia propter Christum offerebat, et ideo dicitur: *Mandatum non supra te est*, non quia non esset supra naturæ vires, vel quia sine gratia possit impleri, cum statim ibi proponatur summum præceptum diligendi Deum super omnia; sed quia non erat supra vires illius populi, sub tali providentia gratiæ constituti. At si inter vires necessarias ad mandatum implendum, est illa determinatio, quam Deus solus facere potest, et tribuit illam cui vult, et cui vult negat, profecto mandatum dici potest supra hominem, quantumvis gratia instructum, si determinationem illam non habet, quia talis determinatio supra hominem est, et in cælo est (ut sic dicam), nec habet modum aut viam qua illuc ascendat ad illam obtinendam. Declaratur exemplis; nam si Deus mihi præcipiat prophetare aut miracula facere, et non det donum prophetiæ aut gratiam miraculorum, nec modum obtinendi illam, profecto merito diceretur tale mandatum esse supra hominem, et esse procul, ac in cælo situm esse; at non magis potest voluntas hominis determinari ad diligendum Deum super omnia sine determinatione Dei, quam prophetare sine dono; ergo si Deus nec dat talem determinationem, nec modum obtinendi illam, dat præceptum supra hominem, quia in præcepto diligendi Deum continetur ut fiat determinatio ad diligendum illum. Atque ita reliqua omnia, quæ in illo capite subsequuntur de propositione boni et mali, vitæ et mortis, et præcepto eligendi vitam, eandem veritatem confirmant, et induci etiam possunt eodem modo quo verba Sapientis quæ in primo testimonio citavimus.

Tertio, possumus in confirmationem afferre illa testimonia, in quibus ab homine postulatur libera cooperatio ad supernaturalem cordis mutationem et ad electionem vel conversionem suam; nam talis cooperatio non est in hominis potestate posita, si prædeterminatio præcedere debet, quæ in hominis potestate non est, et ideo fecte ab homine postulatur, qui determinationem non habet. De illo autem qui determinationem habet, periculum non est quin illam non adhibeat, quam continere non potest, et ideo superflue illi consulitur tanquam aliquid quod per illum impediri possit. Hujusmodi est Ezechielis illud decimo octavo: *Convertimini, projicite a vobis omnes iniquitates vestras, facite*

vobis cor novum. Vera enim conversio et mutatio voluntatis in determinatione consistit; si enim voluntas adhærebat creaturæ, et jam determinatur adhærere Creatori, jam convertitur. Si ergo ipsa non cooperatur determinationi, non est quod ab illa postuletur conversio, sed quod ab illo fiat, qui jam facere potest, nam, facta determinatione, conversio est facta, vel quia prorsus sunt idem, vel quia per necessariam dimanationem consequitur vel completur potius. Est enim determinatio conversio ipsa quasi in fieri, quod fieri non potest non terminari ad factum esse. Magis vero hoc declarant illa verba: *Facite vobis cor novum*, quæ conferenda sunt cum illis: *Dabo vobis cor novum, et faciam ut faciatis.* Nam ex his inferebant alii auctores Deum solum prius facere determinationem. Simili ergo modo inferri posset ex illis hominem solum facere suam determinationem; nam qui determinationem habet diligendi Deum super omnia, jam habet cor novum. Coniungendo ergo illas duas locutiones, intelligimus nec Deum solum, nec hominem solum facere illam determinationem, sed esse opus liberi arbitrii cooperantis divinæ gratiæ, multoque magis esse opus Dei præmoventis et principaliter cooperantis ad illam.

Præterea addere possumus illa testimonia, ex quibus aperte colligimus sola illa auxilia gratiæ, quibus interdum homo vocatur ad conversionem et non convertitur, satis esse in ratione prævenientis auxilii ad actualem conversionem, nihilque aliud necessarium esse quod Deus solus facere debeat. Nam hinc evidenter sequitur illam determinationem non esse necessariam. Ad id autem probandum, optimum est, licet vulgare, testimonium illud Matth. undecimo: *Væ tibi, Corozain; væ tibi, Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in te, utique in cilicio et cinere poenitentiam egissent.* In quo imprimis suppono hanc fuisse certissimam Christi prædictionem et revelationem ex infallibili et indubitata scientia. Ad cuius probationem (ut alia omittam, quæ alibi tractata sunt) sufficiat nunc, ita illam intellexisse Augustinum, ut patet libro de Dono perseverantiæ, capit. octavo, nono et decimo quarto, et in Enchiridio, cap. nonagesimo quinto. Quia nimirum Christi verba apertissima sunt (ut ipse ait), et nulla est rationabilis causa detorquendi ea ad sensus improprios. Deinde expendo non dixisse Christum: Poenitentiam agere potuissent, sed:

Poenitentiam egissent; nam potestatem etiam Corozaitæ et Bethsamitæ habuerunt. Unde ex aliorum potestate futura non possent ipsi reprehendi, sed ex actione. Ergo supponit Christus gratiam illam, quæ data fuit Judæis, talem fuisse ut cum illa sola, in ratione prævenientis gratiæ, staret actu agere poenitentiam, nam et Tyrii et Sidonii illam agerent, et Judæi reprehenduntur quod illam non agerent. Dico autem in ratione prævenientis gratiæ, quia gratia concomitans non datur nisi cum ipso actu; tamen data prævenienti gratia, etiam concomitans offertur, quantum est ex parte Dei, ita ut in manu hominis sit illam actu habere, et ex negligentia sua illam non habeat. Ideo, eo ipso quod ex parte gratiæ prævenientis datur homini quidquid est necessarium ad agendam poenitentiam, censetur etiam ex parte Dei datum quidquid est necessarium ex parte gratiæ concomitantis, quod satis est ad obijurationem quam Christus facit per comparisonem ad Tyrios et Sidonios.

Ex his ergo concluditur argumentum; nam Christus non dederat hominibus Corozain et Bethsaidæ prædeterminationem physicam, ut vellent agere poenitentiam; ergo Tyrii et Sidonii agerent poenitentiam sine tali determinatione; ergo non est necessaria ad agendum. Forte aliquis priorem consequentiam neget, dicens ideo Tyrios fuisse acturos poenitentiam, quia illis daretur prædeterminatio. Sed contra, nam tunc frivola est obijuratio Christi; facile enim responderent Bethsamitæ: Quid mirum quod Tyrii acturi essent poenitentiam, si tu, Domine, prædeterminatus esses illos? da etiam nobis hanc prædeterminationem, et agemus. Respondent aliqui Bethsamitas restitisse determinationi, vel potius impedimentum posuisse ne illa daretur; Tyrios vero commendari, qui tale impedimentum non ponerent. Sed abimus in longum; illa enim evasio repugnantiam involvit in prædicta sententia; nam juxta illam, si Bethsamitæ posuerunt impedimentum, ad hoc ipsum prædeterminati sunt a Deo, et si Tyrii illud non posuissent, ideo fuisset quia prædeterminarentur ad cooperandum. Omnis enim bona dispositio ad gratiam (ex istorum sententia) provenit ex hac physica prædeterminatione, et omnis carentia dispositionis debite provenit ex carentia talis prædeterminationis, et omnis positiva obduratio seu indispositio provenit ex prædeterminatione, saltem ad materiale actum peccati, et omnis ca-

rentia talis indispositionis provenit vel ex carentia prædeterminationis ad illam, vel ex prædeterminatione ad bonum contrarium. Denique ob hanc causam idem auctores dicunt hanc prædeterminationem dari ex mero beneplacito Dei, qui, ut voluit, ita in sua æternitate decrevit ante omnium operum prævisionem talem determinationem dare. Imo etiam D. Augustinus, tractans Christi verba prædicta, in solam prædeterminationem et beneplacitum Dei refert, quod illa auxilia dederit quibus profutura non erant, et non dederit his in quibus futura erant efficacia; ergo supponit illam differentiam non fuisse factam ob impedimentum, vel non impedimentum eorum, sed ex solo beneplacito Dei. Unde etiam ex eisdem verbis infert habere aliquos homines in ipso ingenio tale munus intelligentiæ, ut moverentur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audirent verba, vel signa conspicerent; at hoc nullo modo sequitur si totum referendum esset in prædeterminationem quæ fuisset danda Tyriis et Sidoniis, si apud illos talia signa facta fuissent; jam enim determinatio esset causa efficax conversionis, non congruitas prædicationis aut signorum cum ingeniis audientium; hac enim proportionem existente, nisi accederet prædeterminatio, non agerent poenitentiam, et quamvis prædicationis non haberet illam proportionem cum ingeniis audientium, si accederet prædeterminatio, agerent poenitentiam. Si ergo totum negotium in prædeterminatione positum est, male infert Augustinus. Et simili modo si inæqualitas illa in prædeterminatione recipienda proveniebat ex priori dispositione audientium, quæ in his merebatur desertionem et carentiam prædeterminationis, in aliis vero minime, non esset referenda illa diversitas in dissimili congruitate vel proportionem, pro varietate ingeniorum, sed solum in diversitate meritorum ex parte recipientium, et in decreto Dei juste distribuentis, et his dantis determinationem, illis vero negantis; consequens etiam est aperte contra Augustinum; ergo.

Tertium caput testimoniorum.—Præter hæc omnia, quæ directe satis impugnant physicam prædeterminationem ad opera gratiæ, sunt alia quæ non quidem ita proxime et directe, valde tamen efficaciter illam expugnant, una vel altera illatione interposita. Qui enim ad opera gratiæ necessitatem prædeterminationis excogitarunt, non sunt moti ex propria et peculiari ratione operum pietatis, sed ex ge-

nerali ratione operum voluntatis creatæ, vel quia dependens est ab increata, eique subordinatur, ut ab ea ordinetur ac gubernetur, ac proinde etiam determinetur, vel quia causa indifferens est, ideoque nihil potest eligere, nisi prius ab alio determinetur. Hæc namque rationes vel generatim probant de omnibus actibus, tam malis quam bonis, vel de neutris probant. Præter has vero causas, nulla est in supernaturalibus actibus, propter quam sit prædeterminatio necessaria; nam supernaturalitas actus requirit supernaturales vires, et supernaturalem excitationem, inclinationem et concursus, determinationem autem minime, si ex generali ratione humani actus necessaria non est. Quod in hunc etiam modum potest intelligi et declarari, nam cum homo pendeat a Deo, tam in naturalibus quam in supernaturalibus actibus suæ voluntatis, generales rationes dependentiæ eadem sunt, differunt tamen in modo dependentiæ naturalis vel supernaturalis pro actuum qualitate. Itaque voluntas humana ad suos actus etiam naturales indiget excitatione aliqua naturali, et ideo ad actus supernaturales indiget supernaturali excitatione. Item indiget inclinatione, sed hæc est indita ab auctore naturæ ad naturales actus, ad supernaturales vero infundi debet per inspirationem; rursus indiget sufficientibus viribus, has vero etiam habet a Deo ex vi suæ creationis quoad naturales actus, ad supernaturales vero per gratiam superaddi oportet; indiget concursu, sed hic est naturalis in actibus naturæ, in aliis gratuitus. Si ergo etiam indiget prædeterminatione, in omnibus indigebit, sed ad naturales actus erit prædeterminatio naturalis, ad supernaturales erit supernaturalis et gratiæ. Si autem voluntas ex suo genere (ut sic dicam) non indiget tali prædeterminatione ut operetur, et ideo intra ordinem naturæ sine illa operatur, plane nec in ordine gratiæ illa indigebit. Hinc ergo fautores prædeterminationis physiciæ, qui magis consequenter locuti sunt, necessitatem ejus cum proportionem extendunt ad omnes actus liberos, cujuscumque ordinis vel rationis sint.

Contra hos ergo validissima sunt illa testimonia Scripturæ, in quibus peculiariter dicitur Deum non inclinare vel movere voluntates hominum ad actus pravos, neque esse auctorem illorum, nam hæc et similia non vere dicerentur, si Deus absoluta voluntate prius apud se discernit, prævio et absoluto decreto, ut voluntas humana habeat talem

consensum, quem scit sine pravitate habere non posse, et postea illam prædeterminat ut eundem consensum eliciat. Quo enim modo potest Deus magis directe esse causa talis actus, et efficacius ad illum movere, quam prædeterminando voluntatem? Hoc ergo modo efficacissima sunt illa verba Sapientis, Ecclesiast. 15: *Non dicas: Ille me implavit, non enim necessarij ei sunt homines impij.* Quomodo ergo hoc non dicit qui affirmat Deum, sola sua vi et actione, determinare me, ut velim id quod turpiter volo? Quod ex proportionem ad opera supernaturalia contra prædictos auctores efficaciter confirmatur ad hominem. Cum enim ex illorum sententia duobus modis præagat in cor nostrum, tangendo illud et prædeterminando, cum tactus cordis magnum pondus habeat, ut ratione illius Deo tribuantur nostræ actiones bonæ, ipsi quasi nihil illud æstimant, respectu prædeterminationis; nam ille prior tactus communis est prædestinatis et reprobis, poenitentibus et impenitentibus, imo et æqualis potest esse in illis; prædeterminatio vero est potentissima et efficacissima, quæ nunquam frustratur suo effectui, et ideo ratione illius aiunt Deum operari ut velimus et facere ut faciamus. Si ergo in operibus malis, etiam pro materialibus actibus (ut ipsi loquuntur), non audent primum illud attribuere Deo, scilicet tactum cordis per inspirationem et excitationem ad malum, ne illum faciant malorum tentatorem, quomodo illi audent attribuere secundum, scilicet, prædeterminationem ad malum opus, aut quomodo evitare possunt quin Deum faciant principalem auctorem talis operis, asserendo eum esse qui facit nos ita velle et facere? Hoc ergo modo possunt infinita alia testimonia Scripturarum adduci et induci, quæ prudens omitto, quia obvia sunt, et quia hoc punctum in superioribus et in aliis opusculis late tractatum est. Quod si hic discursus aliquem detineat, ut jam multos detinuit, ne talem determinationem ad malos actus admittant, necesse est ut ad nullos actus liberos illam necessariam esse concedant, si consequenter loqui velint, ut ostensum est.

Ultima probatio ex Sacra Scriptura. — Tandem (ut caput hoc concludamus) ex utriusque partis testimoniis inter se collatis, existimo facile intelligi posse, divinam Scripturam plurimum favere nostræ sententiæ, nam prioribus testimoniis ita respondetur, ut quiescat intellectus sine ulla vi verborum Scripturæ, aut repugnantia Patrum exponen-

tium illa, imo, juxta communiores illorum sententias. Posteriora autem testimonia argumenta continent, quæ valde premunt, et vix possunt sine magna Scripturæ violentia subterfugi. Et ideo in referendis evasionibus, illisque redarguendis, immoratus non sum, quia omnia quæ excogitata hactenus sunt, omnia reducuntur, vel ad distinctionem de sensu composito et diviso male intellectam et applicatam, vel ad distinctionem de materiali et formali, et similes quæ mentem torquent, et animum non quietant, nec Scripturas explanant, nec juxta mentem Sanctorum sunt. Pius ergo et prudens lector attente, quæso, omnia ponderet et inter se conferat, et ubi veritatis pondus inclinet facile intelliget.

Denique res esset dubia et utrinque æque ambigua, saltem haberemus ex Sacra Scriptura argumentum negativum, quod, scilicet, Scriptura non cogat nos ad credendam illam prædeterminationem intervenire posse in operibus liberi arbitrii, nedum esse ad illa necessariam. Quod si ex Scriptura hoc non habetur, optime juxta capacitatem materiæ infertur, neque ex Conciliis aut Patribus haberi, quia licet in aliis materiis moralibus seu practicis multa dogmata fidei tradantur a Conciliis et Patribus, quæ scripta non sunt in Canonicis libris, sed traditione habentur, tamen dogmata quasi speculativa, et præsertim quæ ad gratiam pertinent in Scriptura debent habere fundamentum, vel colligi aperte ex illis quæ in ea scripta sunt, quia in his non habet locum aliud traditionis genus, nisi quod ad intelligentiam ejusdem Scripturæ pertinet. Et ita, ubicumque Augustinus de dogmatibus divinæ gratiæ disputat, infinita Scripturæ testimonia profert, quod suo modo Concilia Milevitanum, Arausicum et Tridentinum observarunt; ergo cum alias ex illa prædeterminatione gravissimæ difficultates oriantur circa alia dogmata fidei, sine Scriptura non est admittenda; multo ergo minus repugnante Scriptura.

Unde obiter intelligitur quam sine fundamento auctores contrariæ sententiæ, quando illis objicimus intelligi non posse concordiam inter antecedentem ac physicam determinationem voluntatis ad unum, cum indifferentia liberi arbitrii, (sine causa, inquam), præcipere nobis ut credamus et captivemur intellectum in obsequium fidei. Cujus enim fidei? an mere humanæ? Ubi autem hoc præcipit Deus? præsertim cum periculum versatur ne humana fides divinæ repugnet; an vero di-

vinæ? at hæc non traditur in Scriptura vel Ecclesia. Non est ergo cur eorum præcepto obediamus.

CAPUT XXXII.

CONFERUNTUR DECRETA PONTIFICUM ET CONCILIORUM QUÆ UTRAQUE SENTENTIA IN SUUM FAVOREM AFFERT.

Post Scripturæ testimonia, expendere necesse est quam vim habeant Ecclesiæ decreta ad alterutram ex dictis sententiis confirmandam, nam summam habent auctoritatem, et utraque sententia magnum sibi fundamentum in eis invenire conatur. Qui ergo affirmant determinationem ad voluntarium consensum prius fieri a Deo in nobis sine nobis quam voluntas nostra aliquid operetur, præcipue utuntur ad id confirmandum definitionibus Concilii Arausicani. Fuit enim illud Concilium contra Semipelagianos coactum. Unde sicut hi auctores nostræ sententiæ attribunt quod ad Semipelagianismum declinet, ita etiam volunt contra illam canones illius Concilii accommodare. Præcipue vero urgent verba canonis 4: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per Spiritus Sancti inspirationem, et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicentem: Præparatur voluntas a Domino; et Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* In quo canone imprimis expenditur quod dicitur, Deum non expectare voluntatem nostram; expectaret enim illam, nisi ipse solus eam determinaret.

Verumtamen ad hunc canonem jam supra respondimus, Deum non expectare voluntatem nondum vocatam, ut illam vocet, excitet ac præmoveat, et hanc esse mentem illius canonis, quia contrarium asserebant Semipelagiani, nihilominus tamen verum esse Deum expectare voluntatem jam vocatam, ut se cum cooperatione divinæ gratiæ ad consentiendum determinet; hoc enim non ad Semipelagianorum errorem, sed ad catholicam doctrinam spectat. Et ratio differentiæ est manifesta, quia vocatio nec cadit sub meritum hominis, nec est ei libera, et ideo nihil est quod Deus ab homine expectet ut eum vocet. Determinatio autem ad consensum libera est, et ideo influxus liberi arbitrii in illam necessario

expectandus est, ut talis determinatio in homine fiat.

Sed instabit aliquis, quia hoc jam fuerat definitum ab illo Concilio in præcedenti canone 3, qui sic habet: *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaie Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: Inventus sum a non quærentibus me,* etc. Constat ergo per hæc verba definiri Deum non expectare voluntatem humanam in priori sensu, sed invitare illam se nondum quærentem; ergo in sequenti canone aliquid amplius additur, nimirum, Deum non expectare voluntatem humanam, etiam in secundo sensu.

Respondetur non potuisse hoc addi a Concilio, cum repugnet catholicæ veritati, ut supra probatum est, et nullo modo pertineat ad damnationem Semipelagiani erroris. Negatur ergo consequentia. Primo, quia non oportet in singulis canonibus novum dogma definiri, sed satis est quod idem magis ac magis explicetur. Ita enim inferius, can. 5, definitur initium fidei non esse a libero arbitrio, sed a gratia, quamvis hoc virtute contineretur in præcedenti definitione. Et can. 6 subjungitur misericordiam Dei non conferri creditibus, poenitentibus, vel desiderantibus sine gratia, sed potius per misericordiam Dei conferri gratiam, per quam desiderare, petere aut credere valeamus. Quod totum in generali definitione continebatur, sed ibi distinctius explicatur; quod in aliis canonibus notari etiam potest. Nam quia Semipelagiani variis loquendi formulis suum sensum explicabant, ut ex libris Prosperi constat, ideo voluit dictum Concilium illas omnes distincte damnare, et catholicum dogma distinctissime exponere; unde adjungere possumus canonem illum quartum aliquid ultra tertium addidisse. Nam in tertio solum dictum fuerat invocationem hominis non præcedere, aut necessariam esse ante gratiam; in quarto vero additur, non modo invocationem, verum ne motum aliquem aut conatum liberi arbitrii expectari, ut gratia opus suum inchoet. Solum ergo excludit expectationem respectu primi auxilii, non vero respectu determinationis liberæ, quæ jam supponit prævium auxilium.

Sed adhuc possunt urgere alia verba ejusdem canonis 4, scilicet, *ut purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem et operationem in nos fieri.* Nam ille actus quo purgari volumus consensus liber est, et tamen dicitur in nobis fieri non solum per Spiritus Sancti in-